



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi
Thomæ**

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. 12. Personas non distingui in attributis negatiuis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

Omibus regula supra posita, quod substantia prædicata non prædicantur in plurali, nisi forma multiplicetur, etiam si multiplicetur supposita.

9.
Varia di-
singuntur
attributa.

Vnde constat, assertionem hanc habere locum in omnibus his attributis, etiam si relationem rationis ad creaturas dicant, & siue illa relatio sit simpliciter necessaria, siue contingens, seu supponens actum liberum, & siue sit æterna, siue ex tempore. Propter quod dixi supra, attributum hoc loco de his omnibus prædicatis diuinis proprie dici. Probatur autem id, quod inferius, explicando illud breuiter. Nam ex attributis, quædam conueniunt naturæ diuinæ secundum se, & nullum dicunt respectum ad creaturam, vt æternitas, de qua iâ satis dictum est, & alia attributa negatiua, de quibus in sequenti cap. dicendum est. Quædam verò attributa concipiuntur à nobis, vt facultates nature, vt scientia, voluntas, & omnipotentia, quæ in re sunt ipsæmet Dei essentia, modo autem nostro intelligendi conueniunt ratione naturæ: & iuxta vnitatem, vel pluralitatem naturæ habent etiam vnitatem, vel pluralitatem; & idem sicut in tribus personis vna est natura, ita vna scientia, vna voluntas, &c. Sicut è contrario in Christo Domino sunt plures intellectus, & voluntates, quia sunt plures nature.

10.
Omnia sin-
gulariter di-
cuntur.

Ex his autem tribus attributis, omnipotentia clare dicit respectum rationis ad creaturam, quia illam quasi pro obiecto suo habet, & tamen quia respicit creaturam vt factibilem, idem respectus ille tãquam simpliciter necessarius à nobis concipitur. Scientia autem, & voluntas Dei habent intra ipsum Deum suum obiectum primarium, & vt sic, non dicunt respectum ad creaturam, tamen secundario dicunt ad illam respectum. Hic verò respectus est simpliciter necessarius, quatenus attingit creaturam vt possibilem, vel per scientiam simplicis intelligentiæ, vel per amorem simplicis complacitiæ in bonitate possibili creaturæ. Et hæc omnia sub tali ratione, habent vnitatem in omnibus diuinis personis, quia omnia dicunt absolutas perfectiones, in quibus non habet personæ oppositionem. Quod satis probat verba illa, *Non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens*, nam attributum hoc dicit relationem necessariam ad creaturas, eadem verò ratio est de omnibus similibus.

Quædam verò ex his attributis inuoluunt actum liberum harum facultatum, qui etiam dicit respectum rationis ad creaturas, vt per se constat, ille verò actus interdum est merè immanens vt prædestinatio, & tunc relatio, licet non sit absolute necessaria, tamen est æterna, quia actus immanens vt sic æternus est, aliquando verò talis actus est transiens, qui in tempore fit, vt creatio, idem relatio rationis, quæ illum supponit, non solum contingens, sed etiam temporalis est. Vtraque nihilominus relatio est vna in omnibus personis, & idem talia prædicata, tantum singulariter de illis prædicantur substantiue, & non in plurali. Quod sufficienter probatur ex illis verbis Athanasij, *Non tres Domini, sed vnus est Dominus*, nam attributum, *Dominus*, dicit relationem, liberam, & temporalem; ergo omnia similia attributa, & à fortiori etiam illa, quæ dicunt similem relationem, licet æternam, habebunt eandem vnitatem. Hoc etiam persuadet axioma illud verissimum, *Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa*, vt sunt creare, gubernare, iustificare, quia hæc omnia conueniunt personis ratione scientiæ, voluntatis, & potentia, & idem eandem habent in eis vnitatem. Ac proinde vnus est tantum Creator, vnus Prouisor, Gubernator, & Iustificator.

12.
Apostolus.

Nihilominus dico tertio, Hæc attributa adiectiue sumpta rectè prædicantur in plurali de diuinis personis. Hæc assertio communis est Theologorum. Habetque fundamentum in verbis illis Athanasij in suo Symbolo, vbi in plurali vocat diuinæ personas, *coæternas, & coæuales*. Et eodem modo loquitur Suarez: de Deo trinuno.

tur Concilium Lateranense in capit. *Firmiter*, vbi etiam vocat personas *Consubstantiales, & coomnipotentes*. Respondere autem potest aliquis, has voces dici in plurali propter illam particulam additam, *co*. Nã illa significat mutuam relationem rationis in tali attributo; & ratione illarum relationum possunt prædicari in plurali, sicut personæ diuinæ dicuntur similes, quia relatio similitudinis, quæ inter eas rationes est, multiplicatur in illis, & eadem ratione dici possunt non tãtum coæuales, sed etiam æquales, quia etiam vox, *æqualis*, relationem dicit. Reliquæ item voces *coæternæ, coomnipotentes, & cæc.* significant mutuam relationem rationis, æqualitatis, vel similitudinis in tali, vel tali perfectione, & idem mirum non est, quod prædicentur in plurali, etiam si perfectio ipsa sit vna. At verò si auferatur illud *co*, & dicatur omnipotentes, vel æternæ, iam voces illæ non significant relationem, sed tantum absolutam perfectionem. Et idem non sequitur, posse dici in plurali. Sed licet hoc rectè consideratum sit, vt has locutiones non extendamus sine sufficiente additione, vel explicatione, vbi nomina sunt ambigua, nihilominus vbi satis constat esse adiectiua, non est dubium, quin possint pluraliter prædicari: sic enim tres personæ rectè dicuntur *Diuina, & Dominantes, ac creatantes, & Pater, ac Filius* dicuntur *Spirantes Spiritus*. licet sint vnus spirator, vt infra dicemus. Hæc namque locutiones receptæ sunt ab omnibus Theologis, & communi vsu probatæ.

13.

Ad explicandam autem rationem huius assertionis notanda est regula Theologorum, vt nomen adiectiuum pluraliter prædicetur, satis esse, quod personæ, vel supposita, de quibus prædicantur pluraliter sint. Ita docet D. Thom. 1. p. q. 36. art. 4. & q. 39. art. 3. Scot. & alij Theologi in dist. 12. Ratio D. Thom. pro hac regula est, quia nomen adiectiuum significat formam per modum adiacentis alteri, quando autem vna forma est in multis suppositis, licet forma sit vna adiacentiæ, vt ita dicam, sunt plures, & idem hæc pluralitas sufficit, vt nomen pluraliter dicatur de multis personis. Confirmatur, ac declaratur: Nã in eo casu sunt plures habentes vnã talem formam, ergo hoc ipsum potest significari, per aliquod nomen à tali forma sumptum. Tale autem est nomen adiectiuum, vt ex communi vsu, & sensu talis vocis constat, ergo tale nomen pluraliter prædicatur. Vnde cum dicimus, tres personas esse tres Dominantes, nihil aliud significamus, quam potestatem Dominandi esse in tribus, vel haberi à tribus personis, & cum proportione, quando dicimus, esse tres creatantes, solum significamus creationem prodire à tribus personis, & sic de cæteris. Neq; in hoc occurrit difficultas alicuius momenti.

CAPVT XII.

An diuina attributa priuatiua multiplicentur aliquo modo in personis diuinis.

In his attributis locum habent absolute loquendo omnes assertiones posite in præcedenti capite. Nam hæc etiam attributa, absoluta simpliciter sunt, vel per modum priuationis, quatenus remouent absolutam aliquam imperfectionem, vel per modum essentialis perfectionis, in qua fundantur, quamque per illam negationem, seu remotionem nobis innuunt. Formale igitur significatum talium nominum non multiplicatur in Deo, & idem substantiue sumptum tale nomen, singulariter autem prædicatur, licet adiectiue possit in plurali prædicari: vnde est illud Athanasij, *Non tres increati, nec tres immensi, sed vnus increatus, & vnus immensus*; & in capit. *Firmiter*, dicitur, *Non tres ineffabiles, & cæc.* Idemque habet Augustinus 5. de Trinitate, capit. 8. & omnes Theologi.

2.
Dub. 1.

Occurrunt nonnullae difficultates circa nonnulla ex his attributis explicanda. De hoc ergo attributo *increated*, est difficultas, quia videtur convenire personis non solum ratione naturae, sed etiam ratione suarum proprietatum, ergo licet ratione essentiae dicantur unus *increated*, poterunt etiam dici tres ratione proprietatum. Nam, ut supra dixi, illa omnia praedicata, quae conveniunt personis ex vi proprietatum relationum, sub ea ratione multiplicantur in eisdem etiam substantiis, quia multiplicata forma cum supposito, multiplicatur substantivum. Antecedens probatur, quia Filio ratione filiationis repugnat per creationem produci, & similiter Spiritui sancto ex propria ratione repugnat ei produci ex nihilo, *increated* autem est illud ens, quod nec creatur, nec creari potest. Declaratur, quia Patri attribuitur ut propria notio, esse ingeneratum, quia non solum ratione essentiae, sed etiam ratione personalitatis habet non posse ab aliquo produci: & Filio multi attribuunt, esse inspirabilem, & Spiritui sancto, esse ingenerabilem propria generatione, ergo eadem ratione convenit omnibus personis esse increabiles, seu *increated* entia ex vi proprietatum relationum. Cur ergo hoc praedicatum non multiplicabitur in illis?

3.
Tres personae non esse unam *increated*

Nihilominus absolute dicendum est, tres personas esse unam *increated* & non plura, substantivum loquendo. Ita loquitur Athanasius, & cum eo confitetur tota Ecclesia, & Patres etiam omnes ita loquuntur expresse negando esse plures *increated*. Ratio reddi potest, quia per hanc negationem explicatur in Deo absoluta necessitas essendi à se, & non ab alio, haec autem necessitas non potest convenire ratione relationum praecise sumptarum, sed ratione essentiae, quia est suum esse per essentiam, ergo sicut hoc esse per essentiam, unum tantum est in tribus personis (ut supra diximus) ita dicendum est de esse *increated*. Dices: haec ipsa necessitas essendi aliter convenit Patri, & aliter Filio: illi, quia ex se habet proprietatem immediate conjunctam essentiae: huic vero, quia generatio illa non libera, sed necessario est. Respondeo, hanc diversitatem solum esse in modo habendi illam formam, à qua habent, ut necessario sint: nihilominus tamen illa forma una, & eadem est in illis, & ideo praedicatum ab illa sumptum non multiplicatur.

4.

Quocirca, ut respondeamus difficultati propositae, advertendum est, quaedam esse praedicata essentialia, quae comparata ad personas, requirunt in earum relationibus quaedam non repugnantiā, ut sic dicam, seu proportionem, ut possint recipere talia attributa per simplicissimam identitatem: non vero possunt illa complete habere debent ab essentia: & talia praedicata nullo modo possunt multiplicari. Exempla statim afferemus in alijs attributis, ita vero intelligendum est in hoc de quo agimus. Verum est enim, filiationem divinam non posse fieri per creationem, & hoc repugnare rationi eius: tamen hoc ex eo est, quia talis persona non potest produci nisi de substantia Patris, quae substantia per se primo increabilis est, & ita propria ratio, ob quam hoc attributum simpliciter convenit Filio vel filiationi, est ipsa substantia, ex qua producit, & existit, idemque est de Spiritu sancto. Et ita pater responso ad difficultatem, nam relationes ex proprijs habent proportionem quandam, ut sint absque creatione, tamen completam, & positivam repugnantiā cum creatione habent ratione essentiae, & quia hoc significatur nomine *increated*, ideo non multiplicatur in ipsis. Neque est simile de notione ingenerati, & alijs negationibus propositis, quia per illas solum negatur aliqua relatio originis, & haec negatio potest personae complete convenire ratione relationis. *Increated* vero negat omnem essentialē dependentiam,

quae negatio non convenit complete, nisi ratione essentiae.

Circa infinitatem, cum certum sit, infinitatem essentiae esse unam in personis, dubitari adhuc potest, an per proprias relationes habeant personae tres infinitates. Et quidem, qui negant, personas habere aliquam perfectionem ex proprijs relationibus, consequenter negant, habere aliquam infinitatem. Quod si inquiras, an Pater, verbi gratia, quae Pater est, sit finitus, vel infinitus, utrumque negant, quia haec non immediate opponuntur, nisi respectu subiecti proportionati, id est, quanti, nam illae sunt passionis quantitates. In Patre vero, ut Pater est, nec est quantitas molis, nec perfectionis, & ideo nec est finitas, nec infinitas. Atque haec fuit Scoti opinio.

Haec sententia consequenter loquitur, sed fundamentum eius nobis supra non placuit. Et quamvis loquendo de infinito privative illa responsio procedat, tamen negatio saltem sequitur, personam divinam non habere infinitatem, atque ita esse finitam negativè potius plus, quam finitam, quod quidem mihi non minus inconueniens videtur. Magis verò displicet aliorum sententia, qui cum admittant relationem divinam secundum propriam rationem dicere perfectionem, nihilominus negant, secundum illam habere infinitatem aliquam etiam tali genere. Quia infinitas relationis sumenda est ex termino, terminus autem non habet infinitatem, nisi ratione essentiae. At profecto in hac ratione petitur principium, nam terminus huius relationis est ad correlativum, de quo etiam inquitur: an habeat aliquam infinitatem praeter infinitatem essentiae.

Dico igitur, infinitatem aliam esse simpliciter in genere entis, & hanc esse unam tantum in tribus personis, & singulis convenire, ut ex dictis satis patet, aliam vero esse secundum quid, seu in proprio aliquo genere, quomodo distinguunt Theologi in attributis divinis plures infinitates ratione distinctas, ut est infinitas essentiae, potentiae, &c. Et hoc modo dicimus, esse in tribus personis tres infinitates relatiuas realiter distinctas. Nam quae est distinctio rationis inter attributa, est realis inter relationes quoad propria, ut supra est dictum est. Probatur assertio, quia relationes illae habent proprias perfectiones, ergo finitas, vel infinitas secundum proprios conceptus: nam respectu rei quanta illa duo immediate opponuntur, absurdum est autem dicere, illas perfectiones esse finitas, ergo habent infinitates in proprijs generibus, & declarari potest haec infinitas ex processione ipsis: nam verbum divinum procedit ut adaequatus terminus intellectiois patris, quae intellectio infinita est, ergo & verbum formaliter in ratione verbi habet infinitatem, ergo & in ratione Filij, nam haec duae rationes in ipso una sunt, ut infra dicam, ergo & Pater habet similem infinitatem ratione Patris. Et eadem ratio ad Spiritum S. applicari potest.

Dices, ergo eodem modo distinguere possemus in praecedenti attributo. Cur enim potius infinitas distingui potest in absolutam, & essentialē, & relatiuam, seu personalem, quam esse *increated*? Respondeo, esse dissimilem rationem, nam infinitas, ut dixi, sequitur quantitatem, quae in re spirituali idem est, quod perfectio: Perfectio autem, ut supra etiam dixi, transcendens est, & ideo infinitas similem transcendentiā habet, ratione cuius abstrahi potest ab absoluto, & respectivo, quamvis in solo absoluto sit infinitas simpliciter, in relatiuo vero solum sit secundum quid, seu in tali genere. At vero esse *increated* convenit supposito ratione suae naturae, & eadem ad rationem sui esse simpliciter. Sicut & contrarium in creaturis esse generabilem, vel creabilem unicuique rei convenit ratione naturae, non ratione perso-

Personalitatis, vel suppositivitatis, sed hæc sequitur conditionem naturæ, quatenus cum illa cõgenerari, vel concreari potest. Quia ergo in divinis personis tantum est vna natura, in qua non habet locum distinctio absoluti, & respectu,ideo nec illi attributo accommodatur talis distinctio.

9. *Immensitas non multiplicatur.*
Et iuxta hæc censendum est de immensitate, illa enim tantum est vna in divinis personis, & ideo hoc attributum, *Immensitas*, substantiæ sumptum non dicitur pluraliter de divinis personis. Quia immensitas requirit infinitatem simpliciter, & ita convenit Deo ratione naturæ, & relationibus, quatenus essentiam includunt. Unde, si ex propriis rationibus præcise considerentur, intelligi possunt ex se afferre præfentialitatem aliquam quasi localem, tamen excellentiam immensitatis ex se non habent, sed vteffentiam includunt. Idemq; iudicium est de *immutabilitate*, quæ multa comprehendit. Nam, si sit in esse simpliciter, convenit ex necessitate essendi, si in ordine ad locum, convenit ex immensitate, si in actibus intellectus, & voluntatis, convenit, ex infinita perfectione, & actualitate talium facultatum. Si denique in ordine ad quamcumque impressionem, seu receptionem, convenit ex eo, quod Deus est purus actus. Constat igitur manifeste, hoc attributum convenire divinis personis ratione naturæ, & ideo non multiplicari.

10. *Idem de simplicitate.*
Atque eadem ratio est de simplicitate, quæ vt convenit naturæ divinx comparatæ ad attributa essentialia, & absoluta, clarum est, convenire illi ratione suæ perfectionis infinitæ simpliciter, si vero consideretur comparando inter se essentiam, & relationem ipsam, convenit maxime ratione essentiali, quæ propter sui infinitatem, & purissimam actualitatem potest intime includi in ipsis relationibus, sine vlla distinctione actuali in re, ab ipsis, etiam illæ inter se resoliter distinguantur. Denique idem est de hoc attributo, *incomprehensibile*, & alio, quod ex illo nascitur, *ineffabile*. Nam incomprehensibilitas, etiam convenit Deo ratione infinitatis simpliciter, & a nobis maxime intelligitur in ordine ad attributum omnipotentia, & ad ea omnia, quæ in Deo eminenter continentur, quæ exhaustiri non possunt per vllam creatam visionem. Constat autem, hæc omnia convenire Deo ratione essentiali. Quin potius hoc etiam attributum, *invisibile*, quatenus Deo convenit in ordine ad intellectum creatum sua naturali virtute operantem, convenit Deo ex eo, quod est actus purus, & suum esse per essentiam, vt D. Thomas 1. p. q. 12. ratiocinatur, & alibi explicat. Et ideo hoc etiam attributum singulare est, & non multiplicatur, nec substantiæ moraliter prædicatur.

dum est, voces significantes distinctionem in triplici ordine constitui posse. Quædam sunt verba, aut nomina significantia differentiam rerum: alia sunt relationalia, quæ dicuntur diverfitatis, vt *alius*, in tertio ordine sunt termini numerales, & circa singula pauca notanda sunt.

2. *Dub. 1. de verbo, Dissendi.*
Circa nomina distinctionis fere hoc solum purum est, & sine suspitione, quo personæ dicuntur distinguari realiter, aut esse distinctæ, de quo in principio huius libri dictum est. Dubitari autem solet de verbo, *differre*, an vna persona proprie dicatur differre ab alia. Nam D. Thomas dicto art. 2. suspectam habet hanc vocem, secutus Hilarium 4. de Trinitate. Quia ea proprie dicuntur differre, quæ distinctam habent formam, personæ autem divinx non habent formam distinctam. Forma enim illarum propria est divina natura, quæ in eis non distinguitur, ergo illæ personæ non dicuntur proprie inter se differre.

3. *Resolutio.*
At enim, licet hoc caute consideratum, & ad maiorem securitatem dictum esse videatur, nihilominus illa locutio in multis Patribus invenitur. Nimirum Gregorio Nazianzeno oratione 35. Iuliano in expositione fidei, Anastasio Synaita in libro 1. de fidei dogmatibus, circa principium. Damasceno libro 1. de fide cap. 10. & sequentibus, Richardo de sancto Victore lib. 4. de Trinitate, cap. 20. & lib. 5. cap. 1. Et ideo Magister in 1. distinctione 24. illam locutionem admittit, quem sequitur Alensis 1. p. q. 44. Unde censeo in rigore, nihil esse periculi in illa locutione. Quia differentia non semper dicit distinctionem in forma essentiali, sed etiam dicere potest distinctionem in forma personali, quæ in divinis personis est proprietatis. Conciliando vero dictas sententias dicimus, cautius esse vitare locutionem illam, saltim, quando simpliciter & sine addito personæ dicuntur differre, nam si addatur, *differre proprietatibus, aut relationibus*, iam satis res explicatur, vt D. Thomas etiam sentit, explicans Damascenum, qui ita loquitur, ac fere alij Patres citati.

4. *Dub. 2. de voce distinctio.*
Similis dubitatio est de voce, *diversitatis*, quam Divus Thomas ibi censet vitandam. In quo magis videntur Patres convenire, vt pater ex Hilario supra, & Augustino 7. de Trinitate, cap. ultimo, Fulgentio libro 3. ad Trasimundum, capit. 6. Lactantio, libro 4. diuinarum Institutionum, capit. 29. Et ratio est, quia diversitas aliquid amplius, quam distinctio & differentia significare videtur, & ideo innuere potest varietatem in forma, seu natura. Atque idem censet Divus Thom. de nomine, *Divisionis*, quia non ita distinguuntur. Si tamen vox illa latius sumatur, prout solum dicit discretionem, admitti potest. Sic enim personas vocat discretas Concilium Lateranense, in capite *Firmiter*, de summa Trinitate, & fide Catholica, & Concilium Toletanum I. & II. in confessionibus fidei, & Richardus Victorinus supra capite 15. Denique de nomine *separationis* ait etiam D. Thom. esse vitandum, quia licet personæ distinguantur, non separantur. Lactantius vero supra dicit, vnam personam fecerit ab alia. Tamen solam distinctionem significare voluit. De nominibus autem, quæ dissimilitudinem, vel inæqualitatem indicare possunt, generalis regula est, esse cauenda: de illis tamen aliqua in particulari dicemus in fine sequentis libri.

5. *De relativitate diversitatis, regula.*
Circa relativitate diversitatis Prima regula Patrum est, Masculine vnam personam dici posse aliam ab altera, vt Patrem alium à Filio, iuxta illud Ioannis 14. *Et alium Paracletum dabit vobis*. Altera regula est, in neutro non posse vnam personam dici aliud ab altera. Ita Concilium Toletanum supra & Concilium Ephesinum, to. 2. c. 7. Augustinus 11. de civitate c. 11. Damasc. lib. 3. ca. 35. Sophron. epistola sæpe citata ex 6. Synodo, act. 11. Leo Papa sermone secundo

CAPVT XIII.

Quibus verbis distinctio personarum explicanda sit.

1. *Regula generalis.*
In superioribus declarando rem ipsam, multa, quæ ad modum loquendi spectant, exposuimus: nunc autem pauca de modo loquendi addenda supersunt, quæ attigit D. Thom. 1. p. q. 31. art. 1. seruanda; In hoc mysterio ad declarandum personarum numerum vtendum esse vocibus, quæ solam distinctionem significant quoad supposita, cauendos autem esse voces illas, quæ simul eum distinctionem personali indicare possunt distinctionem naturæ, vt omnibus suspicio Ariani erroris tollatur. Sicut & contrario, in declaranda vnitatem earundem personarum cauenda sunt voces, quæ confusio nem earum inducere possunt, de quibus vocibus vnitatis dicemus libro sequenti. Deinde obseruan-